

riosis Armis suis immanem Christiani nominis hostem Turcam, crebris, cruentis, generalibus conflictibus fusum, Divina praeauxiliante ope, ab eorundem quotidie capitaliter infestatis cervicibus propulsare; deque ipsius faucibus, in quibus hactenus a tanto tempore non absque summa totius hujus Nationis pernicie gemitant; nominatissima istius Regni Fortalitia, interque eadem florentissimam olim Sedem Regiam Budam et Antemurale totiesfati hujus Regni, cum potiore ejusdem parte eripere; ac in eliberationem istius dulcissimae Patriae, haec et alia superius fusius enumerata impendere dignata est:

§. 1. In perpetuum proinde recolendorum tantorum beneficiorum memoriam, et in aeviternum recognoscendam humillime complacentium animorum suorum gratitudinem, praefati Universi Status et Ordines hujus Regni Ungariae et Partium eidem annexarum declarant; quod amodo imposterum neminem alium, quam altititulatae suae Caesareae et Regiae Majestatis propriis ex Lumbis suis descendenter Masculorum Haeredum Primogenitum, in perpetuum (id ipsum etiam statuentibus Articulo 5. Anni 1547. aliisque superinde extantibus) pro legitimo suo Rege et Domino sint habituri; et erga semper, totiesque quoties ejusmodi Inauguratio instauranda erit, praemittendam praeinsinuatorum Articulorum Diplomaticorum acceptationem, seu Regiam Assecurationem, deponendumque superinde Juramentum, in ea, qua a Majoribus suis praestitum esset, forma; diaetaliter intra hoc Regnum Ungariae rite coronaturi. \*)

*In defectu Masculini Seminis altmemoratae suae Caesareae et Regiae Majestatis; succendent praescripto in Regimine: Serenissimi moderni Hispaniarum Regis Primogeniti, pariformiter Masculi Haeredes: Ac duntaxat iis deficien- tibus avita et vetus, approbata consuetudo praerogativaque Statuum et Ordinum, locum sortietur in eligendis Regibus.*

### Articulus 3.

Quodsi vero (quod Divina bonitas in omnia Secula clementer avertere dignetur) ejusdem suae Caesareae et Regiae Majestatis semen Masculinum deficeret contingeret; extunc istiusmodi devolvendi et suscipiendi Regiminis successio (erga aeque praeviam, praedeclaratoque modo praemittendam Regiam Affidationem, ac acceptandos praementionatos Diplomaticos Articulos et praestandum desuper Juramentum) redundet, et transeat in Serenissimi quoque Hispaniarum Regis, Domini Caroli Secundi pariformiter Masculinum Semen, adeoque duntaxat eo in casu (quem Divina Clementia benignissime arceat) quo, tam altenominatae suae Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis; quam praefati Serenissimi Hispaniarum Regis Masculinum Semen deficeret; \*\*) avita et vetus, approbata consuetudo, praerogativaque praefatorum Statuum et Ordinum, in Electione et Coronatione Regum, suum locum habeat.

\*) Allegatur; An. 1715. a. 1. et 2. in Diplom. Reg.

\*\*) Allegatur et extenditur; An. 1723. a. 2.